



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Fvrsevs Conf. 16. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

divinam facit (homini Cælitibus inservientibus) & in laboris præmium vestem aufert. mirè candidam, eaque sive materiâ sive arte, quàm mirari oculus humanus semper, agnoscere potuit nunquam. Simile sperare postea ausus è successoribus unus, eodem se contulit. Verùm quia merita hominis abludebant, dissimilis pullus dissimili modo acceptus, & arcanâ vi domum suam est deportatus. At BONITVS sponte infulam abiecit, vel, ut rectius loquar, cum coronâ commutavit, quam ei cùm locos sacros plurimos lustrasset, à morte (cujus ipse sibi vates fuit) cælum decrevit, anno post Servatoris adventum DC. LXXXV. *Ex Surio.*

Qui cupiunt strenuè spirituales persolvere laudes, representent se coram Deo tribunali, & ipsum in spiritu præsentè habeant, uti est, nihilq; ue inter se & eum habere velint, sed tanquam amicus cum amico colloquantur Domino. B. Laur. Iust. de discip. Monast. Conversat.

S. FVRSEVS CONF. 16. Ianuarij.

EX Angliâ FVRSEVM ascivimus. Iuventa ejus^s Prodigis plena reliquæ vitæ prælusit. Post hanc à Musis transit ad monachos; mox doctor sanctioris vitæ & cænobii conditor, in quod passim vinctos oratione suâ à mundo abstraxit. Interè sub annum DC. XLIV. semel iterumq; animo è mortali corpore exiit, ductoribus Angelis bonis, qui vel lignea malorum tela clypeo excipiebant, vel quas de minimis etiam vitæ noxiis adversarii necitebant accusationes diluebant. Iam verò è cæli speculâ orbem contemplatus, cùm à quatergeminâ scelerum st. minâ (perfidiam, rerum fluxarum cupiditatem, discordiam, atque in miser-

ros

ros crudelitatem Angeli dicebant) ardere omnem didicisset, cum à cælestibus Choraulis levem omnem laborem quantumvis magnum, omne tempus quantumvis longum, ad æternitatem breve esse audiisset, à binis è numero Divorum Præsulibus jussus est ad corpus redire, & flagitiosos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Cælitum societate avelli, præsertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cælumque oratione suâ depinxit, annosque porro XII. sceleratis in viam reducendis impendit. Posthæc cum Romam pietatis causâ contenderet, prius vitam quam viam emensus est. Integritatis testimonium demortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno, & ipsum integrum. Animus illuc ivit, quò afflueverat jam ire. *Ex Surio.*

Fugiantur noxia voluptates, inimica gaudia, & desideria jam jamque peritura. Quis enim fructus est ea indefinenter cupere, quæ etsi non desinant, deseranda sunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cælestibus delectetur. S. Leo serm. 5. de Epiph.

S. ANTONIVS MAGNVS. 17. Ianuarij.

Agyptius erat ANTONIVS, & domi sue nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex asse pauperes heredes scribit subinde victoriis adversus hominum hostes malos genios nobilitatus; ab iis plagis aliquando pessimè acceptus, dum IESVM suum familiaris deinde rogat, ubi id temporis fuisset, a fuisse spectatore pugnae audit. Tam propè à Deo absumus, etiam cum longè a bestie nos putamus. Aliàs dum mundū æquioribus